

LOGICÆ APPLICATÆ

Sect. II.

METHODOLOGIA APPLICATA.

§. 174.

Humanæ cognitiones, utcunque limitatæ sint conditionibus empiricis, adjuvantibus tamen his ipsis perficiendæ sunt, et ampliandæ. Ut vero pateat, quonam opus sit efficiendi genere ad perficiendas cognitiones et ampliandas, nosse oportet modos, quibus ipsæ parandæ sint, et communicandæ. Duo igitur sunt capita, e quibus spectantur cognitiones, nimirum quatenus et parantur, et communicantur.

Conditiones empiricæ prius limitantium nomine consideratæ sunt, ut intelligeretur, quantopere cavendum esset à variis errandi periculis: nunc proficientium titulo in contemplationem veniunt, quatenus intellectui, remediis diligenter adhibitis, in perficiendis ampliandisque cognitionibus adjumento esse possiat.

METHODOLOGIÆ APPLICATÆ

Cap. I.

DE PARANDIS COGNITIONIBUS.

§. 175.

Humanæ cognitiones vel solum *empiricæ* sunt, cum tantum objecta, et eventus discernuntur, uti sunt, vel fiunt in rerum natura; vel etiam *rationales*, quibus comprehensæ tenentur leges et nexus rerum, eventuum, ipsarumque cognitionum.

Cognitiones empiricæ præeunt; succedunt rationales: quare primum empiricas, tum rationales parare decet.

Capitis primi

Art. 1.

De cognitionibus empiricis.

§. 176.

Cognitiones empiricæ, uti primum universæ, parantur duce experientia (*ἐμπειρία*)

quæ profluit ex perceptionibus objectorum, quæ data sunt, ope intuitus et sensationis.

Hujus generis cognitiones, jam primum paræ, pro cognoscendi initiis habendæ sunt, multam imperfectis; quæ methodicæ pertractationis indigent, ut justam dignitatem recipiant.

§. 177.

Experientia, quæ prima cognitionum parens, *propria* est, vel *aliena*, cum objecta vel à nobismet ipsis percepta sunt, vel ab aliis, de quorum perceptionibus docemur.;

Experientia propria plus virtutis (*ἐμπειρία*) sive, ut ajunt, intensionis habet, quippe animam gravius afficiens; minus vero amplitudinis, sive extensionis, quam aliena: nam quæ per se quisque percipit, multo pauciora sunt, quam quæ percepserunt alii, atque etiamnum percipiunt. Si solummodo utendum esset experientia propria; si penitus cecidisset aliena; perexiguus foret cognitionum numerus; ad maxime necessarias ne vita quidem sufficeret.

§. 178.

Experientia *propria* juvatur *observationibus* et *experimentis*. Observationes sunt deliberatæ perceptiones objectorum, quæ data sunt, sine arbitrariis eorundem mutationibus;

experimenta itidem deliberatæ perceptiones objectorum, quæ data sunt, sed adjunctis variis eorundem mutationibus.

Observationes et experimenta et propria, et aliena esse possunt. Propria, si considerate facta sunt, plus securitatis pariunt. Duplex igitur experientia distingui potest: *vulgaris*, sive *communis*, se offerens singulis, qui sanis utuntur sensibus, ac faciles sunt ad recipiendas impressiones rerum; et *erudita*, sive *artificialis*, proficiscens ex laudabili proposito, quomodo defigitur in ipsis objectis, ut inquirantur diligentius, et ex proprietatibus suis accuratius noscantur. Hoc pacto produciuntur cognitiones novæ, et quæ partæ sunt, perficiuntur magis et confirmantur.

§. 179.

Experientia *aliena* ut prodesse ad nostram cognitionem possit, indiget *testimonio*, quadam relatione alterius, unde constet, quæ sint ab ipso, vel ab aliis percepta. Narratio, documentum, an monumentum sit, nihil interest. Qui percepta refert, *testis (immediatus, vel mediatus)* et, quæ referuntur, *facta*, sive *res in facta posita* dicuntur.

Ad dignitatem testimonii, quam *fidem*, seu potius *probabilitatem historicam* dicunt, requiritur primum *possibilitas facti absoluta*, ut, quæ referuntur, legibus logicis et physicis omnino consentiant; et *relativa*, ut, quæ referuntur, tanquam partes totius inter se rectissime congruant: unde testimonium fit

interne probabile, seu credibile Tum *dexteritas* ipsius testis, ut vera referre possit; et *sinceritas*, ut vera referre velit: quibus testimonium externe probabile redditur *Dexteritas*, si testis est immediatus, ex sanitate organorum, præstantia instrumentorum, siqua opus erant, cognitionibus præviis, sagacitate, attentione, prudentia; si mediatu, ex puritate fontium, e quibus hausit, atque ex hauriendi solertia repetitur: *sinceritas* vero, quod incertissimum est, ex indole et voluntate; et, quod aliquanto certius, ex referendi modo, simplice et placido, ex collatione plurium testimoniorum colligenda est. Si desideratur certus testis; habetur *fama*, quæ primum *rumor* dicitur; propagata per generationes, *traditio*. Hæc quidem in rebus gestis, non autem in veritatibus rationis usui esse potest.

§. 180.

Cognitiones empiricæ, quales sola experientia subministrat, imperfectæ sunt, omnino particulares, carentes forma necessitatis; talesque semper erunt, nisi demum intellectus, de objectis experientiæ judicans, certis utatur legibus, quæ cognitionibus dignitatem universalem, iuramque necessitatem tribuant.

Sensus non repræsentant nisi objecta singularia, versanturque circa ea sola, quæ sunt, vel fiunt, aut fuere, vel facta sunt. Quare perceptio, secundum se spectata, ratio iudicii universalis et necessarii esse nullo modo potest.

§. 181.

Leges, quibus utendum est intellectui, vel sunt modo datæ, vel nunc primum quærantur. Si modo datæ; intellectus judicans assumit et determinat, singulare cogitans, ut contentum sub universali, atque illud hujus ope constituens. Si nunc primum quærantur; intellectus viam ingreditur abstractionis et reflexionis, e factis singularibus eruens regulam generalem, seu comparatione singularem quidquam universale producat.

Legibus datis, sive *à priori*, sive *à posteriori*, dum nititur intellectus judicans; idem facit, quod fit in ratiocinio, ubi sub universali assumitur particulare atque hoc per illud determinatur, ut judicium, tanquam conclusio propter præmissas, universaliter et necessario valeat. Dum vero quærendæ sunt illæ leges, quibus judicia de rebus empiricis nitantur; intellectus omnino aliis insistit modis, de quibus solis nunc sermo erit.

§. 182.

Intellectus ubi ex perceptionibus didicit, multa cujusdam generis inter se consentire, facilis est ad judicandum, inter alia plura, nondum percepta, eandem consensionem esse. Hoc genus colligen-

di non proprie censendum est ratiocinium, quod conditionem objecti universaliter et necessario determinare queat; sed *logica præsumptio*, determinans modum de datis objectis reflectendi; quæ multis iudiciis de rebus empiricis instar principii fundamento est.

Intellectus sic antecapiens multitudinem perceptionum, de objectis statuit nondum perceptis, consiciens rationem, qua multa inter se consentire modo liquet, communem esse, ut plura quoque, licet impercepta, inter se consentiant. Hac via dum nititur intellectus, cognitiones empiricæ multum ampliantur, et à particulari et fortuito ad universale ac necessarium pervenitur.

§. 183.

Præsumptionis logicæ duæ sunt species, *inductio* et *analogia*. Per illam statuitur, quæ percepta sint de multis entibus cujusdam generis, eadem toti etiam generi tribuenda esse: per hanc vero, duo vel plura entia, quæ multis notis essentialibus inter se consentiant, vel repugnent, ceteris etiam notis inter se consentire, vel repugnare. En schema utriusque!

a) Inductionis:

A, B, C, D, E, F, G sunt y, vel non y;

ergo omne X tanquam genus, sub se continens A, B, C, D, E, F, G, est y, vel non y.

b) Analogiæ:

A est b, c, d, e, f, g;

ergo X, ens aliud, modo consentiens cum A his notis: b, c, d, e, f, est etiam g.

Inductio ad homogeneitatem entium, analogia ad specificationem pertinet. Quare duo tantum genera empiricæ argumentationis esse possunt.

§. 184.

Inductio, sive iudicium per inductionem nititur hoc principio: *quod multis entibus ejusdam generis, sive speciei convenit, vel repugnat, id etiam ceteris, ad idem genus, sive ad eandem speciem pertinentibus, convenit, vel repugnat.*

Quæ judicia ex hoc principio ducuntur, universalis sunt et necessaria, non absolute, sed relative; probabilis tantum, non vero certa. Quanquam, ita firmari possunt perceptionibus posteris, ut quasi præcertis habeantur.

§. 185.

Inductio vel *individualis* dicitur, vel *specialis*, cum particularia, de quibus perceptum est quidquam, individua sunt, vel

species. Itidem *completa*, vel *non completa*, prout perceptio vel ad omnes, vel ad aliquas partes cujusdam generis, sive speciei extenditur.

Inductionem specialem nixam esse individuali, omnemque primitus individualement fieri, satis patet. An vero completa censi debeat, id certo affirmare non licet. Quæ videtur esse completa, ea non absolute, sed relative talis putanda est.

§. 186.

Inductio, ut recta censi possit, has servet regulas oportet:

a) Judicia singularia, e quibus efformetur judicium universale, sint ejusdem qualitatæ, neque aliud judicium verum oppositæ qualitatæ exsistat.

b) Judiciorum singularium sit justa multitudo, ne judicio universali, quod inde formatur, nimium confidentiæ subesse videatur.

c) Judiciorum singularium prædicata sint essentialia notæ, ut satis tutum sit judicium universale. Sed quandam notam in essentialibus habendam esse, illud eo verisimilius est, quo pluribus objectis ipsa communis apparet.

§. 187.

Analogia, sive iudicium per analogiam hoc nititur principio: si duobus, vel pluribus entibus communes sunt multæ notæ; et quæ sunt ceteræ notæ, nondum perceptæ, ipsis communes erunt.

Hoc principium cum apodictice certum non est, id unum efficit, ut iudicia tantum verisimilia proveniant. Hæc tamen verisimilitudo crescit pro multitudine notarum communium, et pro earundem cum ceteris connexionē.

§. 188.

Ut secundum analogiam recte iudicetur, hæ servandæ sunt regulæ:

a) Multæ similes notæ de duobus, vel pluribus entibus sint modo perceptæ, et cum illis, quarum statuenda communio est, satis cohæreant.

b) Prædicata iudiciorum singularium, quæ perceptam consensionem determinent, ne sint notæ tantum negativæ; aliquas saltem oportet esse positivās.

c) Similes notæ, modo perceptæ, non minus essentielles sint oportet, quam illæ, quarum similitudo colligitur.

Capitis primi

Art. 2.

De cognitionibus rationalibus.

§. 189.

Cognitiones rationales, quarum ratio in perceptionibus sensuum nequaquam posita est, non parantur, nisi succurrat *meditatio*, nimirum studiosa directio intellectus ad contemplandum objectum, ut hoc ipsum plene perfecteque cognoscatur.

Meditatio universe quidem in cognoscendis rebus summæ utilitatis est; sed maxime requiritur, ut præter cognitiones empiricas, quæ sunt inferioris ordinis, etiam rationales proveniant: efficitque, ut singulæ cognitiones sint magis perspicuæ, magisque determinatæ, ac systemati convenientiores.

§. 190.

Meditatio vel *immediata* est, vel *mediata*, prout quisquam vel suis ipsius, vel aliorum cogitationibus insistit. Immediata etiam simpliciter, sive sensu strictiore meditatio appellari solet.

Immediata plus vigoris postulat, cum producendæ sunt cognitiones novæ; mediata illius certe facultatis indiget, ut cognitiones oblatae cogitentur in abstracto, atque intimus illarum nexus perspiciatur.

§. 191.

Meditatio immediata, licet multo liberior videatur, quam mediata, sit tamen methodica oportet, id est, ad cogitandi regulas instituta. Quare opus est,

a) Ut notionibus, se se offerentibus, perspicuitas concilietur, et intensiva, et extensiva:

b) Ut, quod ex declarationibus et divisionibus, sic repertis, consequens est, scite deducatur:

c) Ut omnes cogitationes, quæ referuntur ad objectum meditationis, inter se conjunctæ aliquod totum efficiant facile perspectu arcteque connexum.

Non plura simul meditanda esse, ne fiat digressioni vel confusione locus; neque parum meditandi opus adjuvari scriptione, prudenter adhibita, per se quis facile intelligit.

§. 192.

Meditatio *mediata* locum habet in *auditione* et *lectione*. Illa gravius vivaciusque

animum afficit; hæc patiens moræ, ad contemplandum magis idonea est. Utramque ad parandas cognitiones inter se conjungi decet.

Arte typographica jam inventa, cum non solum scriptorum exemplaria, sed ipsa etiam scripta liberaliter multiplicata sunt; unius lectionis usu omnem sapientiam parare licet: nihilominus tamen viva vox docentis, cum maxime valet ad excitandum animum, cognoscendi studioso minime negligenda est. Audiendi operam male sejungi a scientiarum studiis, sat superque manifestum facit quoddam genus eruditorum, quos *autodidactos* vocant, ingenio minus versatili, et impedito disserendi modo.

§. 193.

Meditatio mediata in auditione, dum quis docentium præceptionibus se dedidit, vel prævia est, sive præparatio, vel concomitans, sive attentio; vel subsequens, sive repetitio, non iterandi solum, sed maxime periclitandi gratia.

Præparationi locus est, cum audiantur præcepta totius scientiæ, ob partes connexas, antecedentes et consequentes. Attentio et repetitio quam maxime necessaria, ut præcipientis verba satis alte in animum audientis descendant. Ad acuendam attentionem non raro proderit, cum de re tractanda constat, prius meditando conjicere, quid de illa forte dicendum sit.

§. 194.

Meditatio mediata, lectioni propria, convertitur vel ad auctoritatem scripti, quod

legitur; ubi scrutandum est, num, quæ legantur, sint propositiones ejus auctoris, cui tribuuntur; vel ad comprehensionem verborum, quibus scriptor utitur; ubi explorandum, quisnam sit eorum verus et genuinus sensus. Priori meditationis generi succurrit ars critica, alteri hermeneutica, sive exegetica.

Critica, universim considerata, vel *rerum* esse dicitur, qualis adhibetur in recensendis scriptis; vel *verborum*, quæ scriptorum integritatem examinat. Hæc vel *superior* rectius *interna* dicitur, quæ disquirat de integritate totius scripti, aut principalium partium, respiciens ad materiam, quæ pertrahatur; ad ingenium, mores, stylum, ætatem scriptoris; vel *inferior*, rectius *externa*, quæ versatur circa propositiones singulas et voces, consulens manuscriptos codices, diversa exemplaria, priscas versiones, et ab aliis citata loca. Hermeneutica, ut palam faciat, quid scriptor senserit, iis verbis usus, persequitur primitivum ipsius sermonis sensum, attendens loquendi morem, tum generalem, cuidam linguæ communem, tum singularem, ipsi scriptori proprium; contextum, uti nimirum voces et formulæ ad se invicem referantur; parallelismum, sive convenientiam verborum, et rerum, sive cogitationum; denique omnia, quibus auctor ad scribendum impulsus, ductusque in scribendo censetur.

§. 195.

Lectiois, tum universæ, tum specialis, sunt quædam regulæ servandæ, constituentes rectam legendi methodum, si-

ve methodicen, ut ex hoc fonte multum utilitatis dimanare possit.

A) Regulae lectionis universae, cujuscunque nominis sint scripta

a) Legenda sunt scripta meliora, ex judicio publico, vel privato

b) Multum legendum est, non multa, ut fructus sit, non πολυστορία, sed πολυμαθία.

c) Immorandum singulis propositionibus, donec sint penitus intellectae.

d) Ubique reflectendus est animus ad propositum scriptoris, quo facilius certiusque ipsius cogitationes percipiantur.

e) Faciendae sunt animadversiones, ac sedulo colligendae.

f) Quae lecta sunt gravioris momenti, diligenter, excerptenda, sed sine magno dispendio temporis.

B) Regulae lectionis specialis, ubi e scriptis tota scientia quaeritur

a) Scripta, pertinentia ad illud genus scientiae, cui danda est opera, sint satis cognita, partaeque praenotiones necessariae.

b) Quae sint partes scientiae; quo vinculo inter se cohaerent, sit penitus perspectum

c) Scriptores melioris notae potissimum legendi, eoque ordine, quo alter per alterum in exponendis rebus juvatur.

d) Si contigerit, ut scripta sint diversarum partium; legenda sunt omnium, ut liberale ac tutum judicium fiat.

e) Quae sunt dissertationes de singulis scientiae partibus conscriptae, promptius amplectendae, ob diligentius quod inest, et accuratius contemplandi studium.

f) Excerptenda sunt scripta, vel ampliora, quibus contrahendis animus utiliter exercetur; vel rariora, quae graves notitias continent, futuro usui servandas.

METHODOLOGIÆ APPLICATÆ

Cap. II.

DE COMMUNICANDIS COGNITIONIBUS.

§. 156.

Communicatio cognitionum vel *unius* est, vel *mutua*, ubi quis solus cum aliis, vel duo, aut etiam plures secum invicem cognitiones suas communicant. Prior communicandi modus *institutio*, alter *collocutio* recte appellari potest.

Non hic loci sermo est de communicatione cognitionum, qualis fieri solet in vita communi, solius conversationis gratia, quin multum respiciatur ad docendi finem; sed tantum de communicatione deliberata, quæ proficiscitur ex certo quodam consilio, atque ob hanc ipsam causam quibusdam regulis subicitur.

§. 157.

Institutio vel *viva vox* et *mandata literis* esse potest: inter utramque vero logice spectatam, nihil omnino interest, quia utrobique idem tenetur propositum,

eandemque regulæ servandæ sunt. Quare deinceps ad hoc genus discriminis non amplius reflectitur.

Utrumque genus institutionis si consideratur ex pulchritudine ac venustate, alterum ab altero multum dissidet. Quod vivæ vocis est, illud minus elegans esse solet ex festinatione sermonis; prolixius quoque, audientium gratia; conversationi propius, ubi verba facile peccati veniam habent. Quod mandatum literis, severiori iudicio subjectum; plus curæ et diligentiae postulat, ut, quæ afferantur, rei, et proposito, et legentium ingeniis quam maxime accommodata sint.

§. 198.

Institutio, utracunque sit, certam methodum desiderat, quam *didacticam* appellant, nimirum formam, in quam coire quis facit cognitiones suas, dum eas cum aliis communicat. Quæ forma cum varia esse potest; et varia sit methodus didactica oportet.

Forma, qua quis cognitiones suas cum aliis communicandas exornat, vel *interna* dicitur, si considerantur essentialia, nimirum cogitationes, earum ordo et nexus; vel *externa*, si spectantur ea, quæ forte conveniunt, scilicet pronuntiatio, sive dicendi genus, quod ad preferendas cogitationes adhiberi potest.

§. 199.

Methodus didactica, quoad formam internam, secundum se considerata, vel *analy-*

rica est, vel *synthetica*, prout qu's exorsus à conditionato, ad conditionem regreditur; vel exorsus à conditione, ad conditionatum progreditur. Quare methodus didactica non minus, quam methodus elaborandarum cognitionum, regressiva vel progressiva esse potest (§. 109).

Tota scientia, uti construenda, sic communicanda pro sua natura vult methodum syntheticam (§. 110); singulae vero partes, id est, singula praecepta non raro analyticam patiuntur. Hæc quoque in exercitiis utilis, quia conditionatum plerumque motius conditione.

§. 200.

Methodus didactica, quoad formam *internam*, simul habita ratione illorum, quibus institutio destinatur, *docta* est, vel *popularis* illa strictisimum ordinem habet, summam plenitudinem et præcisionem, pro natura ipsius scientiæ, quæ proponitur; amans terminos technicos, quamcunque barbaros, ad cognitiones abstractas brevius exprimendas: hæc multo liberior ac facilior, non attingit nisi ea, quæ sunt majoris momenti, ac minoris difficultatis; abstinens summis ultimisque cognitionum principiis, affectansque con-

structionis et elocutionis genus, quod in commune utilissimum sit maximeque perspicuum.

Methodus docta destinatur solidæ scientiæ studio-
sis, qui multis cognitionibus modo imbuti, plures
etiamaum desiderant. Hæc etiam *scholastica*,
exoterica, *systematica* etc. dicitur, cujus *mathema-*
tica, sive *geometrica* summus et perfectissimus gra-
dus est. Popularis vero, quam pariter *exotericam*
vocant, accommodatur ingeniis minus excultis, vel
cuidam legentium generi, quod aliquas tantum cog-
nitiones quærit, commodi aut voluptatis gratia.
Hæc plurimum requirit artis: non tantum opus est
solida et ampla cognitione rei, sed etiam perspicuo,
promptoque ac facili sermone.

§. 201.

Methodus didactica, quantum *ad for-*
mam externam, et in communicatione unius,
sive institutione, et in mutua, sive col-
locatione, iridem varia est, ob multi-
plex pronuntiandi genus, quod commode
adhibere licet.

In communicatione unius reflecti potest ad ipsas
propositiones, et animadverti, uti comparatæ sint,
et ad se invicem referantur; quem sensum præ se
ferant, ad manifestandas cogitationes; quem stylum,
sive quam normam compositionis teneant, ut cog-
nitiones inter se jungantur: in communicatione mutua,
uti referantur ad se invicem, tanquam partes, ad
unam cogitationum seriem pertinentes; quem effi-
cient modum, quo manifestandæ cognitiones per se
facile in aliis excitentur.

§. 202.

Methodus didactica, quantum ad formam externam, in communicatione unius *aphoristica* (fragmentaria, rhapsodica) dicitur, ubi cogitationes brevissimis, iisque abruptis propositionibus perpetuo enuntiantur.

Aphorismi sunt proprie tales, si propositiones videntur forte quasi conjectæ, carentes omni vinculo; improprie vero, si ad speciem tales, si ejusmodi propositiones habent naturalem ac legitimum nexum, licet non eum, qui paragraphos colligat libri didactici. Huc referri potest methodus *tabellaria*, ubi, quæ sunt insigniora præcepta, in quadam tabula exhibentur, ut præcipiendi norma sit plana et brevis.

§. 203.

Methodus didactica, quantum ad formam externam, in communicatione unius *parabolica* est, sive *enigmatica*, dum cogitationes non expressis manifestantur signis, sed aptis imaginibus adumbrantur, vel alienis narrationibus conspicuæ redduntur.

Hic modus cogitata proloquendi est indirectus, cui opponitur methodus directa, in definito proprioque sermone posita. Ille mentem excitat, et ad meditandum impellit; cumque veritates abstractas quasi ob oculos ponit, rudioribus ingeniis accommodatior est, et ad methodum popularem refertur.

§. 204.

Methodus didactica, quantum ad formam externam, in communicatione unius *epistolaris* est, dum cogitationes in formam epistolæ leguntur constructæ.

Hoc genus pronuntiandi multum vivacitatis habet à consuetudine humana, cujus imitatur mores, multumque facilitatis à benevolentiae sensu, qui scribentis sermonem temperat. Ne tamen à scopo nimium recedat, titulis, seiscitationibus, votis, aliisque molestiis liberandum est. Huic, quod facile patet, et locus esse potest in communicatione mutua, si finguntur personæ, quæ scribant et rescribant, sive quæ secum invicem per literas colloquantur.

§. 205.

Methodus didactica, quantum ad formam externam, in communicatione mutua *dialogica* est, dum plures inter se colloquentes inducuntur, ut auctor suas ipsius cogitationes cum legentibus communicet.

Hæc quidem maxime opportuna est ad conjungendas varii generis cognitiones; sed multum solertia requirit, ne fiat fastidio, multumque candoris, ne lectoribus imponat.

§. 206.

Methodus didactica, quantum ad formam externam, in communicatione mu-

tua *erotematica*, sive *catechetica* est, dum cognitiones, quas communicare cum aliis juvat, non jam statim offeruntur liberali quadam ac dilucida expositione, sed eliciuntur, tanquam e silice, quæstionibus sic propositis, ut, qui docendus est, eas ipse in se progignat, et evolvar ex se se. Ipsi etiam *socratica* nomen est, à Socrate, qui eadem frequentissime, non sine magno discentium commodo, usus esse legitur. *Erotematicæ* opponitur *acroamatica*, ubi unus præcipit, ceteris auscultantibus.

Methodo *erotematica* tantum uti licet in cognitionibus pure rationalibus, quas ipse humanus animus ex se potest evolvere; non vero in empiricis et historicis, quæ *acroamaticam* veluat, et demum examini locum faciunt.

§. 207.

Communicatio mutua, sive *collocutio*, dum iudicia colloquentium sibi adversari coeperunt, evadit *disputatio*, sive *pugna intellectualis*; quæ duplicem tenere normam potest, colloquii vel *privati*, vel *solennis disputandi causa*, sive *disputationis sensu strictiore*.

Disputatio instar colloquii privati utilior quidem ad eruendam veritatem, perficiendaeque cognitiones, solennis tamen, ut ut invisa ex veterum insana libidine, non penitus negligenda, praesertim in scholis superioribus, utpote ad exercendam mentem et linguam maxime idonea. Illius liberior usus, hujus strictior methodus in opponendo, et defendendo.

§. 208.

Disputatio ut satis fructuosa sit; ut judiciorum consensionem efficiat, his regulis accommodanda est:

a) Figendus controversiae status, neque ab eo recedendum. Quod si fuerit neglectum; spes nulla consensionis; logomachia vana et inanis est.

b) Consentiendum de principiis, quibus res controversa decernatur: quid pro explorato, et inexplorato; quid pro immediate, et mediate certo habendum; res objectivis, an subjectivis; rationalibus, an empiricis argumentis conficienda. Nam principia, quibus utendum est, si nihili fiunt ab adversario; prudentis est, desperato fructu, à pugna desistere.

c) Argumenta, quibus nritur iudicium adversarii, duplici ex capite pensanda sunt, materia et forma. Haec si fuerit

legitima ; videndum, quid in illa lateat virii : quo detecto lis omnis decisa est.

d) Refutatio argumenti, in quo confidit adversarius, non ipsius iudicii, quod ruetur, censenda est ; nam sublata ratione non semper tollenda est consecutio, quæ provenire ab aliis rationibus potest.

e) Quantum licet, non solum refutandus est adversarius ; sed fons ipse, ex quo fluxit illius error, pariter detegendus : quod aptissimum est ad convincendum illius animum, et ad occurrendum aliis erroribus, qui fuerint ejusdem originis.

f) Ubique servanda humanitas est ; qua nihil efficacius ad fovendam æquitatem, ad flectendam mentem adversarii : cavendum ab omni æstu, qui facile abducit à scopo ; denique abstinendum à contemptu et risu, quo scurra quisque abuti contra veritatem potest.

ateat
est.
onfi-
quod
tione
quæ

utan-
ex
egen-
ncen-
dum
ori-

qua
rem,
aven-
cit à
emtu
ontra

